



Nr. 14

33

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
ET SIMUL ANTISOCINIANARUM  
SEPTIMA  
DE  
**SATISFACTIONE**  
**JESU CHRISTI,**  
SEU DE  
**EXPIATIONE ET RE-**  
**DEMPTIONE EJUS FORENSI,**  
TANQVAM ANTITYPICO UNIVERSÆ REI SACRIFICALIS  
NUCLEO, TOTIUS EVANGELII CENTRO, AC JUSTIFICA-  
TIONIS FORENSIS FUNDAMENTO:  
QUAM DOCTRINAM  
PRIORE XVI. PROPOSITIONUM SERIE  
DEMONSTRATAM  
IN REGIA FRIDERICIANA  
die Octobris hujus MDCCXIX. anni

PRAESIDE  
**JOACHIMO LANGIO,**  
SS. THEOL. D. ET PROF. ORDIN.  
ad objectiones respondendo publice tuebitur  
**JOANNES HENRICUS Denß/**  
Osterburgo - Pal. March. S.S. Theol. Cultor.

---

HALAE SAXONUM,  
Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFII, Acad. Typ.

DIE EXPLANATIONE VON FORTGELTENDEIN  
ET SEMPER ANTHROPOI CARNIS  
S E P T I M A  
S A T I S F A C T I O N E  
J E S U C H R I S T I  
EXPLANATIONE ET RE  
D E B U T I O N E H I S T O R I C A  
A T A D A M A U T H O R I C O U N I V E R S I T A T I  
H I C H O T U M S E V A N G E L I C O C O N F O R M A T I  
T O N I C O P E R I S T U M I M E R I C A  
O M A Y D O C T R I N A  
P R I M E X A M P L E S O C I O N I M S E R I E  
H E M O S T A T I K A M  
I N R E C I P I T R I C I T A M  
J O A C H I M O - I A M G I O  
J O A N N E S H E N R I C E S - S C M I  
O F F I C I A L I T A T E R T I A R I E R T  
N E C E S S A R Y  
I N D I C A T I O N E R T I A R I E R T

LECTORI VERITATIS EVANGELICÆ  
AMANTI  
SALUTEM PLURIMAM!



HRISTUS, a quo *Christianorum* nomen ducimus, totius religionis revelatae ipsum est centrum & medulla. Et in CHRISTO duo doctrinæ capita habemus præcipua, unum de *persona*, alterum de *officio* ejus, ad quod tertium illud, quod de diverso ejus statu agit, commode refertur. In *persona* utramque consideramus *naturam*, divinam & humanam; *divinam* præcipue; utpote cum humana unione *in personam* præcipuum evangelii mysterium constitut, & quæ solidissimum fidei nostræ basin exhibit, negata vero errorem constituit tantum, qui salutis fundamentum evertit. *Officii* autem summa, seu cardo princeps, est in ejus *sacerdotio*

ia&siq; ipsaq; redemtione tali, quæ fo-  
rensi expiatione & satisfactione con-  
stat. Hæc duo religionis capita con-  
tinent mysterium fidei nostræ præci-  
pum; mysterium fidei, quod simul  
omnis pietatis principium est ac fun-  
damentum.

Jam seduli ac pii sacrarum littera-  
rum cultores non nesciunt, Deum scri-  
pturas sacras per electa sua organa ita  
adornasse ac temperasse, ut, quæ in re-  
ligione principem obtinent locum, ac  
maxime necessaria sunt, in iis, præci-  
pue in novi foederis tabulis, crebrius &  
luculentius proposita commendave-  
rit. Et hoc est, quod comprobant mo-  
do dicta illa duo religionis christianæ  
capita de *persona* & *officio* Christi. Ho-  
rum enim in scripturarum testimoniorum  
tanta est ubertas, tanta evidentia, ut  
mirum sit, *ayuorav*, aut aberrationem, hic  
locum habere.

Soci-

*Sociniani* autem quam longe hic a  
vero absint, quis nescit & non inge-  
miscit? Utinam vero illis se non jun-  
gerent alii nonnulli e medio rectius  
sentientium cœtu! De viro clarissimo,  
PETRO POIRETO, manifestius hoc proh  
dolor! est, quam ut multa probatione  
egeat. In doctrina quidem de *persona*  
Christi a Socinianis omnino discedit,  
etsi nec de ea per omnia ad apostoli-  
cæ hypotyposes præscriptum senti-  
at. In illa vero de Christi *officio*, speciatim  
sacerdotali, tantum abest, ut Socinia-  
nus non sit, ut potius Socini asseclas  
hypothesium peregrinitate noxaque  
superet. Hac enim in parte ita ab iis  
discrepat, ut, quod rei caput est, non  
solum cum iisdem neget in solidum,  
impugnetque acriter, sed hunc etiam  
errorem suum principalem ejusmodi  
incrustet opinionibus, quæ ipfis Soci-

*bump*

A 3

niano-

nianorum strophis ac pigmentis ab-  
furdiores sunt ac deteriores.

Quæ cum ita sint, nemo prudens  
mihi vertere poterit vitio, quod Dis-  
sertationes hasce meas simul ANTISO-  
CINIANAS inscribam. Dico enim omni-  
no, quod res est. Ethanc ipsam inscri-  
ptionem ea etiam docendi ratio, quæ  
muneri professorio convenit, haud  
obscure postulat. Nam juventus no-  
stra Academica evangelicæ veritati ita  
innutrienda est, ut simul præsidiis ad-  
versus aberrantes & contradicentes  
necessariis instruatur. Quare ut illa  
intelligat, eadem veritatis demonstra-  
tione, qua Poiretianas hypotheses de-  
struo, etiam Socinianorum errores de-  
tectos everti ac evitari, bipartita illa  
Dissertationum inscriptione opus fuit.

Habent fane Poiretiani nominis ac  
systematis admiratores inconsulti,  
quod

quod reformident: habent, quod, mis-  
so auctoritatis & non satis cautæ ca-  
ritatis præjudicio, sincere ac curate  
explorent. In quo prudentiæ ac <sup>domi-</sup>  
<sup>nariæ</sup> christianæ officio nisi sibi defu-  
erint ipsi, invenient certe, late-  
re, imo eminere, hic anguem in her-  
ba; habebuntque, quod exuant, sal-  
tem animo suo adhærescere haud si-  
nant. Auctori autem quod nihil pla-  
ne adfingam, ipsa Poiretiani volumi-  
nis inspectio fidaque sententiarum al-  
legatio satis superque testantur.

Dodecadis numerum, quem in Dis-  
sertationibus primum mihi proposue-  
ram, in elaborationis progressu auge-  
ri, jam indicatum est in præfatione  
Dissertationis tertiae. Et hoc ipsum  
etiam prælens materia de SATISFA-  
CTIONE exigit. Ejus enim in medita-  
tione tantam deprehendi ubertatem,

*sig. imp. QVILL. OC. 11. transcr. aucti. 10. fol. 1. ut  
263193 - 2*

ut ne sola quidem doctrina ecclesiæ e-  
vangelicæ, per argumentorum seri-  
em deduc̄ta, una Dissertatione in the-  
si possit proponi, tantum abest, ut an-  
titheseos consideratio simul locum in  
eadem inveniat. Nolo enim, Dis-  
putationes singulas justam, h. e. qua-  
tuor, aut quinque, plagularum mensu-  
ram excedere, ne disputantes in præ-  
paratione nimia materia mole obru-  
antur. Et cum tractatio præsentis  
doctrinæ thetica XXXII. Propositionibus cohæ-  
reat, exhibeo nunc priores XVI. Propositiones,  
totidem posterioribus ad Dissertationem V!III, re-  
latis. Quod restat, ex animo precor, ut lector  
quilibet eadem fidei corroboratione, quam per  
Dei gratiam in hujus doctrinæ demonstratione  
ipse sensi, hæc meletemata mea legat, a veritate,  
quæ in Christo est, unice dependens. Didascali-  
ca vero tractandi ratio elencticæ ideo præmitti-  
tur, ut intelligent singuli, quanti momenti ac pon-  
deris doctrinæ sint, de quibus disceptatur, & ut  
speciatim errantes ab erroribus suis eo efficacius  
abstrahantur, evangelicæ veritatis amore ducti.  
Vale, lector istius amans, in DOMINO, qui ipsa  
est veritas. DO-

\* (9) \*

DOCTRINAE  
DE

**SATISFACTIONE CHRISTI**  
**PROPOSITIONES XVI. PRIORES.**

PROPOSITIO I.

**C**hristi SATISFACTIO, seu EXPIATIONE I. probatur e dogmate de Justitia Dei vindice secundum Dissertationem II, collato cum iis Scripturæ locis, ubi Christus nos ab ira Dei liberasse dicitur.

ILLUSTRATIO.

I. Justitiam Dei vindicem necessario tendere ad pœnam, peccatoribus infligendam, & *αὐθαπονεῖθες iram* vocari, præcipue respectu executionis, Dissertatione II. demonstratum est. Jam vero Christus nos eripuit ab ira, seu liberavit a peccati pœna, quemadmodum Rom. V, 9. 1. Thess. I, 10. aliusque in locis multis perhibetur. Ergo idem justitiae Dei vindici pro nobis satisfecit, utpote quæ, nisi ipsi fiat satis, pœnam necessario infligit. Hanc autem liberationem ab ira, seu irrogatione pœnae, factam esse per Satisfactionem, præter rem ipsam e natura justitiae conspicuam, expresse indicat locus citatus, Rom. V, 9. ubi e contextu manifestum est, *servationem*, quam Paulus prædicat, e morte Christi vicaria derivari, & in ordine justificationis forensis applicari v. 7. 8. & declarari per reconciliationem

B

v. 10.

v. 10. verbo καταλαδσω expressam. Quam notionis pi-  
acularis & forensis esse, deinceps in progressu hujus  
demonstrationis videbimus.

2. Nec obstat, istam ab ira Dei vindice *liberationem*  
vi contextus, præcipue Rom. V, 9. notare effectum re-  
demtionis Christi. Effectus enim nos remittit ad con-  
federationem causæ, h. e. ad ejusmodi redēptionem,  
quæ facta est, non per viam *omnipotentie*, quasi Deus  
hanc justitiae suæ opposuerit; utpote quæ oppositio  
neque in hanc, neque in illam, cadere potest; sed per  
*viam juris*, h. e. per *satisfactionem*.

3. Quæ cum ita sint, analogia horum dogmatum, de  
justitia Dei vindice & de satisfactione, manifesta est.  
Supposita enim justitia Dei immutabili, cum sanctitate  
ejus immutabili conjuncta, & peccati *avulsa* gravissime  
vindicante, seu plectente, SATISFACTIO de-  
prehenditur esse necessaria. Et hæc si immotis ad-  
structa est argumentis, fit argumentatio a posteriori ad  
prius, seu ad peccati reatum & justitiae vindicis naturam;  
quandoquidem inde quam liquidissime constat, peccati  
*avulsa* esse extremam, Dei vero justitiam vindicem  
ipſi plane esse naturalem & immutabilem. Quis enim  
Satisfactionem diceret lusoriam, aut supervacaneam?  
Si vero seria & necessaria fuit quam maxime, certe ju-  
stitia Dei vindex, quæ eam exigit, una cum sanctitate  
peccati foeditatem abominante, in Deo est immuta-  
bilis.

4. Atque ita Dei immutabilitas, quam habet cum in  
sanctitate, omnem *avulsa*, tanquam *βδελυγμα* fœdissi-  
mum extreme abominante, tum in justitia, culpam i-  
stius *avulsa* juste vindicante, fundamentum est SATIS-  
FACTI-

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

II

FACTIONIS. Ubi simul observandum est, eadem immutabilitatem in attributis singulis Deo esse pro lege æterna ac indispensabili, seu tali, a qua recedere nequit. Neque enim admittere potest & vult quidquam, quod essentiali sua proprietati repugnat.

PROPOSITIO II.

Christi SATISFACTIO, seu EXPIATIO, probatur 2.e dogmate de peccati, speciatim Adamici, culpa, seu reatu & poena & de peccatoris debito, nec non de ejusdem imputatione, secundum Dissertat. III. & IV.

ILLUSTRATIO.

1. Peccati Adamici & nostri tanta est culpa, tantus reatus, cui satisfacere ipsi haud possumus. Neque is reatus demitur per viam gratiæ & potentiarum absolute, seu citra satisfactionem & repugnante Dei justitia, considerata. Id enim, quod fieri nequit per justitiam, nec per gratiam & potentiam fieri potest, cum neutrum Dei attributum alteri sit contrarium, ut Propos. Ljam indicatum est.

2. Et præter reatum humana natura in tanto intermissi officii sui debito hæret, cui exsolvendo omnino est impar, & quod Deus sine Satisfactione, seu compensatione, remittere nequit: uti Dissertat. III. Sect. I. demonstratum est. Idem secundum Sect. II. liquet e locis Pauli Rom. V, 12. seqq. & Eph. II, 3. ubi dicimus *natura filii iræ*, seu ob contractam culpam pœnæ ob-

B 2

noxii,



DOCTRINA DE

noxii, ita ut *natura*, reatus, transeat *eis naturae*, in condemnationem. Qui tamen transitus impeditur ob intercedens secundi Adami, Christi, *dimissio*, iustitiae meritum, satisfactione partum & *eis dimisso*, ad justificationem, imputabile; quandoquidem, uti in Adamo peccatores, sic in Christo justi constituimur, uti ibidem declaratur. Vide Dissertat. IV. præcipue Propos. VII. & X. Atque ita summa expiationis necessitas conspicitur, uti e doctrina de iustitia Dei vindice, sic etiam ex ea de peccati reatu & peccatoris debito. Quomodo eandem doctrina de *imputatione* illustret, jam supra Dissert. IV. ostensum est.

PROPOSITIO III.

Doctrina de SATISFACTIONE & EXPIATIONE Christi probatur 3. generatim ex universa re sacrificali, secundum Dissertat. V.

ILLUSTRATIO.

1. Si locum habuit satisfactione typica ab ipso Deo instituta, etiam antitypicam locum habere necesse est, cum typus propter antitypum fuerit ordinatus. Prinus vero abunde demonstratum est Dissert. V. & a corruptelis vindicatum Dissertatione VI. Ergo etiam posterius immotæ veritatis dogma est.

2. In aditu ad demonstrationem doctrinæ de Satisfactione hic nunc sufficit generalis rei sacrificalis applicatio. Specialem dabit sequens tractatio.

3. Tres hæ propositiones, ex antecedentium Dissertationum tractatione desumptæ, ideo hic præmittuntur

tūr

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

13

tur reliquis, ut cuivis hujus doctrinæ nexus, quem illa cum præcedentibus istis catenatum habet, adpareat.

PROPOSITIO IV.

SATISFACTIO, seu EXPIATIO, Christi speciatim probatur 4. ex eo, quod dies ipsius *σαρωτιμος*, quo mortem in cruce obiit, exacte respondet solenni isti anniverariæ expiationis diei, de quo, ejusque sacris vide Lev. XVI.

ILLUSTRATIO.

Festum illud EXPIATIONIS totum fuisse in EXPIATIONE typica, ipsa ejus denominatio cum sacris singulis indicat: de quibus in mysterio Christi & Christianissimi. Part. III. c. VIII. Conf. Dissertat. V. Propof. III. In ipsis vero omnibus typum fuisse EXPIATIONIS Evangelicæ, a Christo per ipsius mortem factæ, manifestum est, cum generatim e sacerdotio & opere ejus antitypico, quod omnes ac singulas apparatus Levitici umbras compleat, tum speciatim e diversis Scripturæ novi testamenti locis, quæ mysteriorum expiationis festo peractorum expressam faciunt applicationem ad Christum, & ipsius opus SATISFACTIONIS.

Hebr. VII, 26. 27. *Eiusmodi sacerdos decebat nos; sanctus - cui non quotidie necesse esset, sicut summis sacerdotibus, primum pro propriis peccatis victimas offerre, deinde pro peccatis populi. Hoc enim posterius semel fecit, semel ipsum offerens.*

B 3

ferens.

DOCTRINA DE

14

*ferens.* Hic præcipue ad diem Expiationis respieci, li-  
quet ex sacerdotis ordine sacrificandi, primum pro  
se ipso, deinde pro populo; qui nusquam alias tam  
conspicuus fuit, quam in die isto, ubi sacerdos sum-  
mus ingressus est in sanctum sanctorum cum sacrificia-  
li sanguine, primum iuvenci, pro se, deinde hirci pia-  
cularis, pro populo in expiationem oblati Lev. XVI. v.  
6. seqq.

c. IX. 7. seqq. In secundum vero tabernaculum (secun-  
dam ejus partem, ab atrio distinctam, sanctum sancto-  
rum) quotannis solus sacerdos summus ingr̄sus non sine san-  
guine, obtulit pro suis & populi peccatis - v. 11. 12. Christus ve-  
ro adveniens pontifex futurorum bonorum per tabernaculum  
majus & perfediū, non manufactum, non hujus conditionis,  
neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per pro-  
prium sanguinem ingressus est semel in sancta, eternam re-  
demtionem natus. conf. v. 13. 14.

Item v. 24. 25. 26. Christus non ingressus est in manufac-  
tū sancta, quæ figura erant genuinorum; sed in calum ipsum,  
ut nunc compareat coram facie Dei pro nobis &c. Vide se-  
quentia, ubi τὸ ἀπόλετον Christi τῷ πολλάκις sacerdotum  
Leviticorum opponitur.

c. X. 1, 3, 4, 10. ubi sacrificium corporis Christi ἀπόλετον  
semel oblatum v. 10. opponitur speciatim sacrificii an-  
niversariis, quæ quotannis siebant in festo solennis ex-  
piationis. Id quod etiam indicatur ipsis victimarum  
speciebus, scilicet vitulo, seu tauro, & hirco piaulari, i-  
sto pro sacerdotis, hoc pro propuli peccatis offerendo.  
Conf. c. IX. 12.

c. X. v. 19. Quum igitur, fratres, habeamus parhesiane  
ad ingressum in sanctum sanctorum per sanguinem Jesu (quem  
nobis

### SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

15

*nobis dedicavit, tanquam recentem & vivam viam, per velum, hoc est, per carnem suam) & sacerdotem magnum super dominum Dei; accedamus igitur &c.* Hic manifestum est, ingressum summi sacerdotis anniversarium, qui in festo expiationis fiebat, applicari ad diem Christi *sav-  
pátoru&os* & piacularē, nec non ad ejus fructū, in fidēti ipsius apprehensione & communione cum Deo posūtum. Et quia summus sacerdos non nisi bene lotus ingrediebatur adyutum Lev. XVI, 4, 24. conf. v. 26, 28. etiam hoc hic applicari videoas v. 23. ubi requirit Apostolus, ut accedamus *λελεμένοι τὸ σῶμα ὑδατὶ καθά-  
ρῳ, loti corpore aqua pura &c.*

Cap. XIII, 10--15. Hic commemoratione perpetuum Christi pro nobis exantlatarum & typi earundem sacrificialis, itidem speciatim respicitur ad expiationem istam anniversariam & solenniorem: quemadmodum constat e mentione sanguinis piacularis in sanctum sanctorum illati, & corporum extra castra elatorum & ibidem combustorum. Id quod omnium maxime convenire videoas in sacra ista magnae expiationis anniversaria, Levit. c. XVI. descripta. Confer tamen cum iis sacra ipsorum parallela, in sacrificiis pro peccato etiam aliis præscripta Levit. IV, v. 1. seqq. VI, 30.

Præter hæc loca etiam sequentia ex hac ipsa epistola respectu anniversariæ expiationis conferenda sunt, c. IV, 13, 16. ubi *Christus, tanquam summus sacerdos super dominum Dei, dicitur cælos transisse, parato nobis accessu ad thronum gratiæ.* Quæ locutiones desumptæ sunt ab ingressu summi sacerdotis anniversario in adyutum. Vide etiam c. I, 3. V, 7, 8, 9, 10. collato typo, qui secun-

secundum v. 3. nos itidem ad festum expiationis , ubi  $\pi\alpha\tau' \xi\omega\chi\nu$  pro sacerdote ipso & pro universo populo sacrificatum est , remittit . Idem deprehendimus c. VI, 19, 20. ubi Christus dicitur per interius velum pro nobis ingressus esse , tanquam pontifex & præcursor , parato nobis accessu , per ancoram fidei & spei peragendo . Conf. cap. VII, 25.

### Observationes ad uberiorem illustrationem.

1. Ex hac collatione liquet ad oculum , in integrâ epistola ad Hebræos generatim quidem conferri typum rerum Leviticarum cum officio Christi sacerdotali , sed speciatim tamen & quam maxime omnia fere referri ad diem & sacra anniversariæ expiationis ; utpote qui dies solus summo sacerdoti Levitico erat proprius , id eoque luctulentissimum Christi typum in opere expiationis , seu satisfactionis , præbuit .

2. E consideratione diei hujus hilastici lucem accepit integrum caput Jes. LIII. de Christi perfectionibus & morte : siquidem in hac mysterii evangelici descriptione variae locutiones a die isto festo desumptæ sunt , speciatim a duobus victimis piacularibus & ab hirco emissario .

3. Ad sacra ejusdem diei piacularia reliqua etiam loca omnia , quæcunque in Novo Testamento de Christi passione , sanguine , morte & redemptione occurunt , respectu antitypico  $\pi\alpha\tau' \xi\omega\chi\nu$  sunt referenda . Id quod in nonnullis expressa quoque littera requirit v. g. Rom. III, 25. Deus Christum proposuit  $\iota\lambda\alpha\sigma\eta\mu\sigma$  per fidem in sanguine ipsius . Nam in veteri testamento , non nisi unico & solo hoc anniversariæ expiationis die summo sacer-

SATISFACTIONE JESU CHRISTI. 17

sacerdoti aditus patuit cum sanguine in sanctum sanctorum coram arca foederis, cuius operculum erat *ιατρίον*. Eodem respectu i. Jo. II, 2. Christus dicitur *ἱλαστήρας, propitiatio pro peccatis nostris.* Sic quando i. Tim. II, 5, 6. Christus dicitur semet ipsum tradidisse antilytron, & hoc respectu unus & solus mediator Deum inter & homines fuisse, desumpta hæc itidem sunt præcipue ex opere mediatorio & hilastico, quod in festo expiacionis unus & solus pontifex, tanquam mediator typicus Deum inter & homines, perficiebat, dato lytro vicario.

4. Hæc generatim, partim etiam speciatim, de festo *expiationis*, ad mysterium satisfactionis inde probatum applicato. Illa vero facrorum piacularium pars, quæ in *hircu emissario* posita erat, peculiarem meretur considerationem.

PROPOSITIO V.

Christi SATISFACTIO & EXPIATIO inter sacra diei anniversariæ expiacionis speciatim probatur 5) e proprietate & applicatione hirci Asaïel, h.e. *ἀποπομπάς, emissarii.*

ILLUSTRATIO.

1. Hircum istum fuisse Christi typum, ne ipsi quidem Sociniani negant. Vide SOCINUM L. de Servatore P. II. c. IV. Conf. Catech. Racov. Sect. I. cap. VIII. p. 286. Et ad hunc typum maxime respexit Jesaias in illustri loco de Christi satisfactione c. LIII. præcipue.

6. in locutione: *Dominus in eum incurvare fecit ini-*

C

*quita-*

*quitatem (& simul pœnam iniquitatis) omnium nostrorum.* Conf. I, 29. 1. Jo. III, 5.

2. Jam vero hirco isti peccata totius populi per *χεροθεσιαν* & confessionem, atque ita non *μεταβατικης* ad inhæsionem, sed *λογισικης*, seu imputative, solennissime fuerunt imposita, & ita quidem, ut hircus ista ex hominum omnium medio, Deique ipsius consperitu, quem is *και ο διονοριας* in Tabernaculo habebat, remota in desertum deportaret; utspte per imputationem istam factus *περικαθαρια και πειθημα*, ein Fluch und Heg-Dyfer.

3. Ergo idem contigit Christo, qui pro nobis peccatum factus maledictionem subiit, ut *περικαθαρια & execratio Gal. III, 13.* peccataque nostra sibi imposita portavit & abstulit. Ies. LIII. Jo. I, 29. 1. Jo. III, 5. *Portavit*, inquam & *abstulit*. Non enim abstulit, nisi prius suscepit & portata. Nec aufert dominium & reatum peccati in applicatione, nisi prius ablato ejus reatu *in* salutis acquisitione.

#### PROPOSITIO VI.

SATISFACTIO seu EXPIATIO Christi 6) probatur ex illis Scripturæ locis, ubi illa expressis verbis, expiationem notantibus, nimirum *ιλασημα, ιλασμα, ιλασηρια,* adseritur.

#### ILLUSTRATIO.

Rom. III, 25. Deus Christum Jesum proposuit *ιλασηρια* *ον, placamentum, in sanguine ipsius.*

Hebr.

## SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

19

Hebr. 11, 17. *Christus debuit per omnia fratribus suis conformari, ut misericors & fidelis fieret Pontifex in iis, que sunt Dei, eis & in aliis, ad expiandum peccata populi.*

1. Jo. 11, 2. *Christus est ιλασμός, IPSA EXPIATIO pro peccatis nostris non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Not. 1. Vis horum verborum antitypica consideranda est e proprietate ipsorum typica, de qua in Levitico. Apud LXX. interpres haec voces omnium frequentissime occurunt, nimurum octogesies sexies, uti in fonte Hebraeo verbum כבש.

2. Synonyma expiationis & verbi expiandi, de Christi opere redēptionis usurpata, vide deinceps suo loco.

## PROPOSITIO VII.

SATISFACTIO seu EXPIATIO 7) probatur ex illis Scripturæ locis, in quibus is sacerdos in antitypo vocatur.

### ILLUSTRATIO.

Exempla præcipue habemus in epistola ad Hebreos; utpote quæ hanc doctrinam tractat ex professo. Vide c. 11, 17. 111, 1. IV, 14. 15. VI, 1. seqq. collat. v. 5. seqq. VI, 20. VII, 1. seqq. 24. seqq. VIII, 1. 2. IX, 11. 25. seqq. X, 11. 12. 21. Jam quemadmodum sacerdotum Leviticorum erat *populum & singulos offerentes typice expiare*, secundum Dissert. V. speciatim Propof. III. ita etiam Christi, tanquam summo nostro pontifici, est proprium, idem prestare antitypicæ, seu re ipfa: quemadmodum locorum allegatorum argumentum, scopus &

C 2

con-



contextus indicant. Conf. c. V, 7. VII, 27. IX, 12. 14. 26.  
X, 10. 12. 26. coll. v. 29.

## PROPOSITIO VIII.

SATISFACTIO seu EXPIATIO Christi  
8) probatur ex illis Scripturæ locis,  
ubi is dicitur sacrificium obtulisse pro  
peccatis nostris, seu non solum sacer-  
dos, sed ipse etiam ipsa factus esse vi-  
ctima.

## ILLUSTRATIO.

1. Exempla itidem præcipue habemus in epistola ad Hebreos, & in iis ipsis quidem sedibus, quæ Propositione antecedenti de ipsis sacerdotio adducta sunt. Idem comprobat Paulus Eph. V, 2. Christus tradidit se in oblationem & victimam Deo &c. & Petrus epistola i. c. II, 24. Christus peccata nostra ipse sustulit in corpore suo in lignum. Sacrificia vero habuisse vim expiandi typicam, integra Dissertatione V. demonstratum & VI. vindicatum est. Et hoc ipsum est, quod hic cum emphasi præstat antitypus, quemadmodum allegata novi testamenti loca indicant.

2. Præcipue vero hic notandus est locus ad Rom. VIII, 3, ubi specialis fit applicatio ad illud sacrificiorum genus, quod pro peccato dicebatur. Hoc enim Hebraice vocabatur ἀντιτίθεμα, αὐτοπλία, item πρόστιθεν [scilicet θυσία] Germ. Stund Opffer Lev. VI, 25, 30. &c. Jam vero secundum Rom. VIII, 3. Deus misso Filio in similitudine carnis peccati, [in similitudine θυσίας] victimæ]

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

21

victimæ] pro peccato, peccatum (in Filium translatum & ab eo suscepsum) condemnavit (h. e. sententiam condemnationis in poenam ab ipso Filio subeundam prouniciavit, ipsique eam revera inflxit) in carne (nimis illa ipsa, quam, & cum ea peccati reatum, Filius assumferat) ita scilicet, ut hic eam in assumpta humana natura maxime sentiret, cum ipso mortis piacularis, quam illa subiit, eventu; quemadmodum victima, post peccatorum impositionem, *χειροθεσία* peractam, quasi iudicio mortis in eam pronuntiato, morti tradebatur.

3. Scopus vero vicariæ hujus condemnationis secundum v. 4. erat, ut *διαιρετικά τε νόμος, ius et postulatum legis universum*, quod illa in nos habet, nimis sub comminatione condemnationis, respectu *reatus* plenam satisfactionem, & respectu debiti nostri perfectam obedientiam a nobis requirendi, impleretur in nobis, per Christi iustitiam nobis imputatam, gratiae infusione ad vitæ sanctimoniam respectu regenerationis conjuncta, & respectu renovationis subsequente.

4. Conferendum hic comma capitinis hujus Vlll. primum cum tertio. In primo negatur esse *κατάκριτa condemnationis, in iis, qui sunt in Christo*. In tertio indicatur hujus negationis ratio, scilicet quod Christus condemnationis sententiam & exsecutionem pro nobis exceperit.

2. Solet hoc a nonnullis referri locus 2. Cor. V, 21. ubi Deus Pater dicitur filium pro nobis seu nostri loco, peccatum fecisse h. e. ut nonnulli existimant, sacrificium pro peccato. Sed præstat hic retinere significationem vocis, *peccati*, notiorem, propter vocem in eadem notione proxime præmissam, & propter *apé-*

C 3

cws

*oꝝ subsequentem antithesin, quæ est in voce *justitia*,*  
*quando dicimus fieri *justitia Dei in Christi*. Id quod*  
*cum non nisi de justitia Dei nobis a Deo in Christo,*  
*seu propter Christum, imputata dici possit, vox *ἀμαρτία**  
*etiam convenientissime, cum emphasi tamen non*  
*minore, de peccato Christi imputato intelligitur.* Optime LUTHERUS de hoc loco in Comment. Epist.  
 ad Gal. c. lll, 13. Tom. IV. Jen. Lat. fol. 78. *Quanquam*  
*hæ sententie recte exponi posint hoc modo: Christus factus*  
*est maledictum h. e. hostia pro maledicto peccato &c. iam*  
*magis placet, si servetur propria significatio vocum propter*  
*majorem emphasisin. Quia, cum peccator venit revera in*  
*notitiam sui, non solum sentit se peccatorem concretive, seu*  
*adjective, sed etiam abstractive, seu substantiante, hoc est, non*  
*solum videtur sibi calamitosus, sed ipsa calamitas, non solum*  
*peccator & maledictus, sed ipsum peccatum & maledictum.*  
*Unde & in Latina lingua, cum excellenter volumus aliquem*  
*significare scelestum, vocamus eum scelus. &c.*

## PROPOSITIO IX.

SATISFACTIO seu EXPIATIO Christi  
 probatur 9) ex illa rei Leviticæ ac si-  
 mul antitypicæ parte, qua Christo,  
 tanquam caußæ & auctori, in nego-  
 tio instauratæ salutis nostræ empha-  
 ticum illud *וְיִחַר, ὅσπει εὐωδίας, odor bona*  
*fragrantia coram Deo, ein füsser Geruch vor*  
*Gott/ tribuitur.*

ILLU-

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.  
ILLUSTRATIO.

23

Instar omnium hic est locus ille insignis Eph. V,  
2. Christus tradidit semet ipsum pro nobis oblationem  
& vidimam Deo, εἰς ὁσπέν ἐνδιάς, in odorem bona fragrantia. Hunc vero odorem in sacrificiis fuisse πλαστὸν, demonstratum est Dissertat. V. Propof. VII. Et ad hanc humanæ generis ἐνδιάν, quam Deus ipfius cauſa in Messia accepit, pertinet ἐνδούλια illa, quam angelus nativitatis salutiferæ interpres proclamavit Luc. II, 14. Conf. Eph. I, 5. 9. & quam Pater in & de Filio publice declaravit: *Hic est*, inquiens, *Filius meus dilectus, ἐν* φ. *ἐνδόκωσα, in quo acquievi.* Matth. III, 17. XVII, 5. 1. Pet. I, 17. Conf. Jo. XII, 18. Et hoc est, quod Paulus prædicat Eph. I, 5. *Deus, inquiens, in seū pro gratia sua nos ἐχαρίτωσεν εἰ τῷ ηγαπημένῳ, acceptos fecit in dilectō illo.*

PROPOSITIO X.

SATISFACTIO, seu EXPIATIO Christi probatur IO) ex illis Scripturæ locis, ubi is peccata nostra sibi imputata portasē dicitur, præcipue e capite LIII. Iefaiæ.

DEMONSTRATIO.

I. SUPPOSITUM DEMONSTRATIONIS, in proprietate phraseos, *portare peccata.*

Quid sit portare peccata sua, seu iniquitatem suam, jam explicatum est Dissert. III. Propofit. XI. scilicet sustinere culpam poena expiandam; atque ita ipsi poena esse obnoxium. Unde phras, *portare iniquitatem*

*tem suam non raro ipsa pœnae mentio expresse additur: Exod. XXVIII, 43; Lev. XIX, 8. XX, 17. 19. XXII, 9. XXIV, 15. 16. Num. V, 31. XIV, 34. XVIII, 22. XXX, 16. Ezech. XVIII, 19. 20. Confer Dissert. V. Propos. IV. ubi indicatur, quanta cum emphasi typica sacerdotes Levitici dicti sunt portare iniuriam universi populi Lev. X, 17. Conf. Exod. XXVIII, 38. Porro hic conferenda est Dissertationis V. Propositio XII. de ritu καθαρισμος sacrificialis: ubi ostenditur, per eam, tanquam adjudicati reatus signum, peccata portanda, & per expiationem auferenda, translata fuisse in victimas vicarias, Christi typos. Et hoc ipsum ibidem illustratur e proprietate locutionis generalis, *dare*, seu *imponere peccata alicujus in caput ejusdem*; utpote de reatus in pœnam adjudicatione usurpata.*

## II. DEMONSTRATIO IPSA:

1. *E Christi sacerdotio.* Si sacerdos typicus portavit peccata populi, ita ut ea expiaverit; multo magis id præstat sacerdos antitypicus. Typicum vero peccata ιλασμων portasse, jam evictum est Dissert. V.

2. *E loco primario Jes. LIII:* quem de Messia agere manifestum est e re ipsa, ex apostolorum allegatione, e paraphrasi Chaldaica, & ex ipsorum Judæorum consensu. Exhibeo brevem hujus capitinis orthotomiam dictis ejus ad diversa præsentis doctrinæ membra relatis. Dicitur hic

- a) Messias omnis peccati proprii expers. v. 9. Conf. I. Petr. I, 19. c. II, 22. 23. i. Jo. III, 5. &c.
- b) Pater in Messiam, tanquam Sponsorem, λογιστην, seu per imputationem conjectisse omnia peccata nostra v. 6.

c] Pater

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

25

- c) Pater Filium Messiam ob peccata nostra ipsi imputata afflixisse & contrivisse v. 5, 7, 10. ita ut Messiae propter defectionem populi *plaga* obveneris. v. 8.
  - d) Filius in statu summae exinanitionis *anime nostrae* morbos & dolores, h.e. peccata nostra, uti *ἐξαντικροῦ* declaratur v. 5, 6, 8, 11, 12. in se suscepta tulisse ac portasse v. 4, 11, 12. fuisse instar agni ad lanienam ducit v. 7. & e terra viventium excisi v. 8. qui animam suam in mortem profuderit, peccatoribus annumeratus v. 12.
  - e) Messiae anima, seu ipse *Messias*, reatum suscepisse & depositisse, v. 10. sub eo, tanquam gravi onere, laborasse v. 11. & pro peccatoribus intercessisse v. 12.
  - f) Messias respectu effectus, multos *sanguine suo adspersisse* cap. 52. versu 15. *huc pertinente*: habuisse castigationem pacis nostrae, seu quæ pacem nobis conciliet, sibi impositam v. 5. vibicibus suis nobis satisfactionem procurasse. ibid. impios sepulcro suo meritorie intulisse (Conf. Rom. VI, 3, 4. 2. Cor. V, 14.) & morte sua acerbissima nos ditasse. v. 19. & per sui agnitionem, seu fidem, multos *justificare*. v. 11.
- Not. 1. Allegationes hujus loci, in quantum is hujus disquisitionis est, vide Art. VIII, 32. seqq.  
 1 Pet. II, 22, 24.
2. Non obstat, locum Jes. LII, 4. Matth. VIII, 16, 17. ad *langores & morbos corporis* applicari. Evangelista enim a *causa*, peccato, de qua Iesaias agit, ex collatione v. 4. 5. 6. 8. 11. argumentatur ad effectum, morbos. Nam sublata caussa, seu culpa, tollitur effectus, *morbis*. Unde Christus,

D

stus,



## DOCTRINA DE

stus, tanquam holosoter, paralyticum corpore sanaturus, prius animæ dedit salutem remissione peccatorum: *Confide, inquiens, mi fili, nam peccata tua tibi remissa sunt.* Et licet morbos curaturus eos non ipse suscepit, sed tantum abstulerit, assumisit tamen infirmam nostram, & morbis obnoxiam naturam, ejusque fragilitatem ita est expertus, ut etiam hoc respectu poenam peccati perferret. *Peccata vero respectu reatus & poenæ ita abstulit, ut ea vere, per imputationem tamen, in se suscepit.* Ad tollendos enim corporis morbos, in quibus per se nulla in Deum est *avulsa*, sufficiebat *potentia*: ad animæ vero morbos demendos *justitia* etiam *satisfactionem*, supposita sponsione & imputatione præstandam, requisivit.

3. E loco Psalm. LXIX, 5. ubi Mesias dicit: *Quod non rapui, tamen repandam*, h. e. delictum Adami primi, per quod is rapinam affectatæ divinitatis & sacrilegium commisit, vi sponzionis mihi imputatum portans expiabo. Hunc vero psalmum de Christo agere, crebræ ejus allegationes comprobant. Vide Matth. XXIII, 38. XXVII, 34. 48. Luc. XXIII, 46. Jo. 11, 17. XV, 25. XLIX, 28. Act. I, 20. Rom. XI, 9, 10. XV, 2, 3.
4. E locis Joanneis: Evang. c. I, 29. *Ecce agnus Dei, o ἀἴγανος, qui tollit* (ita portat, ut auferat reatum poenamque) *peccatum mundi.* Epist. I. c. III, 5. *Christus apparuit, ut peccata nostra auferret* & *pecca-*

### SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

27

*peccatum non est in ipso.* Conf. Hebr. IX, 28. Christus his in locis peccata nostra non remittere, sed portare & auferre dicitur, quia hic non est sermo de Deo remittente, sed de Christo, tanquam victimam piaculari, remissionem promerente, & tanquam hirco emissario, peccatorum reatum & penitentiam nostri loco, seu a nobis, auferente, nimirum per modum sufficientissimæ satisfactionis & compensationis.

### PROPOSITIO XL.

SATISFACTIO seu EXPIATIO probatur 12) ex eo, quod Christus dicitur propter peccata nostra, seu pro nobis, traditus, aut se ipsum tradidisse.

### ILLUSTRATIO.

1. Phrasis *tradi pro aliquo, aut propter aliquem,* scilicet ad perfessiones ipsamque mortem, est sacrificialis, & cognoscitur ac dijudicatur ratione sensus sui piacularis ex officio illo vicario & succedaneo, quod quævis victimæ, ab offerente in sacrificium tradita, in ipsius offerentis expiatione habuit. Vide Dissert. V. Sect. L Propos. XIII.

2. Jam vero hoc ipsum dicitur de Christo, & quidem addita mentione substitutionis, seu surrogationis, per locutionem, ὅτε οὐκέτι, expressa. Rom. VIII, 32. *Deus Filium suum pro nobis omnibus tradidit.* Conf. Jo. III, 16. ubi verbum dandi simul continet notionem

D 2

tra-

tradendi. Item Rom. IV, 24. *Christus traditus est propter peccata nostra.*

Gal. II, 20. *Christus me amavit, & semet ipsum pro me tradidit.*

Eph. V, 2. *Christus semet ipsum tradidit pro nobis victimam &c.*

Not. Eodem tradendi sensu etiam verbum dare usurpatur Matth. XX, 28. Jo. VI, 57. Gal. I, 4. 1. Tim. II, 6. &c.

#### PROPOSITIO XII.

SATISFACTIO seu EXPIATIO Christi probatur II) ex iis Scripturæ locis ubi is sanguinem suum pronobis profundisse dicitur.

#### ILLUSTRATIO.

1. Sanguinem sacrificalem fuisse piacularēm, seu typicam expiandi vim habuisse, evictum est Differat. V. Sect. I. Propos. I. Jam vero Christi sanguis est antitypicus, ideoque habet virtutem expiandi antitypicam.

2. Loca de sanguine Christi hilastico vide insigni numero: Matth. XXVI, 28. Marc. XIV, 24. Luc. XXII, 20, 24. Jo. VI, 53. 54. 55. 56. XIX, 34. Act. XX, 28. Rom. III, 25. V, 9. 1. Cor. X, 16. XI, 27. Eph. I, 7. II, 13. Col. I, 14. 20. Hebr. IX, 12. 14. 22. X, 10. 29. XII, 24. XIII, 20. 1. Pet. I, 2. 19. 1. Jo. I, 7. V, 6. 8. Apoc. I, 5. V, 9. VII, 14. XII, II. Locus Apoc. XIX, 13. de Christo victore agit, ex collat. Jes. L XIII.

PROPO-

SATISFACTIONE JESU CHRISTI.  
PROPOSITIO XIII.

29

SATISFACTIO seu EXPIATIO Christi probatur 13) ex eo, quod passus & mortuus dicitur, & quidem PRO NOBIS.

ILLUSTRATIO.

1. Locutio, *pati & mori pro aliquo* est sacrificialis. Victima enim pro offerente patiebatur, & pro ipso jugulata est.

2. Hanc autem mortem fuisse typicam, & in typo piaculari, e Dissert. V. patet.

3. Jam vero hoc in antitypo dicitur de Christo, & quidem itidem adjecta sensus vicarii & hilastici notione, per particulam *ἐπὶρ*, aut *διὰ*, objecto suo præpositam, expressa.

4. De passione piaculari vide Matth. XVI, 21. Luc. XXIV, 26. 46. Act. III, 18. XVII, 3. Hebr. II, 18. XIII, 12. 1. Petr. II, 19. 21. 23. III, 18. IV, 1.

De morte Jo. XI, 50. 51. XII, 24. 33. Rom. V, 6. 8. VI, 10. VIII, 34. XIV, 9. 15. 1. Cor. VIII, II. XV, 3. 2. Cor. V, 14. 15. qui locus præcipuus est in notione officii vicarii & hilastici. Porro Gal. II, 21. 1. Thess. IV, 14. V, 10. Hebr. II, 9.

Not. 1. Quod si nonnullis locis particulae *ἐπὶρ* & *διὰ* una cum objecto suo non sunt additæ, ea merito ex aliis locis supplentur.

2. Huc pertinent loca de ipsa morte Christi piaculari, non per verbum *moriendi*, sed per nomen *moris* notata: Rom. V, 10. VI, 3. 4. 5. 1. Cor. XI, 26.

D 3

Phil.



Phil. II, 8. IIII, 10. Col. I, 22. Hebr. II, 9. 14. IX, 15.  
nec non ea *de agno pro nobis mandato* I. Cor. V, 7. A-

poc. V, 6. 9. 12. XIII, 8.

3. Atque ita in doctrina de sacrificiis & officio Christi sacerdotali probe notanda sunt duo haec momenta primaria: unum *substitutionis*, seu surrogationis, alterum *expiationis*.

4. Huc omnino refer, quae jam tum in antecessum Dissert. V. Sect. I. Propos. XVI. de sensu vicario typi & antitypi dicta sunt.

#### PROPOSITIO XIV.

SATISFACTIO seu EXPIATIO Christi probatur 14) e gravitate perpesionum.

#### ILLUSTRATIO.

1. Perpesionum Christi, præcipue internarum, tanta fuit gravitas, tam intensus sensus, ut is, eo obrutus ac perfusus, confiteretur, se esse περίλυπον usque ad mortem & se gravissime angit, & ut sanguinem exsudaret cruentum ac in cruce sui desertionem lamentabili voce proclamaret Matth. XXVI. XXVII. &c. Hujus sensus intensissimi gravissimam subesse oportet causam, probe inquirendam.

2. Causa haec non potuit esse naturalis, seu communis, in sensu dolorum & formidine mortis communis posita. Cujus negationis ratio est duplex:

*Una, ex parte Dei* permittentis & immittentis, quod Deus nullam plane causam habuisse, cur in innocentem & sanctissimum hominem, nendum Fi-

lium

## SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

31

lium suum dilectissimum, permitteret aut immitteret tantum non solum corporis, sed ipsius etiam animæ, cruciatum.

Altera, ex parte *ipius Christi*, qui hac ratione ne ullius quidem probati martyris, et si nudi hominis & peccatoris, exemplum patientia & *pax&gdot;su&gdot;a* sua aquasset; tantum abest, ut, qui martyribus omnibus hoc pacto inferior fuisset, præ iis omnibus universo humano generi exemplar imitacione dignum potuisset, aut voluisse. Habeimus quidem in exemplo Christi præ omnibus aliis omnino, quod imitemur; prout ipse hoc passim postulat & Apostoli requirunt, sed supposita genuina perpessionum ipsius causa.

3. Jam si caussa istius atrocitatis & sensus intensissimi non potuit esse naturalis & communis; oportet eam fuisse plane singularem & prægnantissimam, h. e. eam, quam Scriptura Sacra tot argumentis modisque, ut perceperimus & percepturi sumus, in imputatione & expiatione peccatorum totius humani generis, ipsius loco facta, ponit.

4. Et hinc emergit insignis discrepantia inter *perpessiones Christi & martyrum*. Christi perpessiones pœnæ notionem & locum habent, ex imputata & suscepta culpa inflictæ. Vide Ies. LIII. & Confer, quæ Disserit. IV. de imputatione dicta sunt, præcipue Sect. I. Propos. VIII. At quæ martyribus acciderunt adverfa, nequaquam ex parte Dei pœnæ ullius naturam habent, sed tantum paternæ explorationis & castigationis, molestiae medicinalis & ignis explorantis & purgantis. Vide Hebr. XII. & epistolam Petri priorem passim.

PROPO-

DOCTRINA DE  
PROPOSITIO XV.

SATISFACTIO seu EXPIATIO Christi probatur 15) ex iis Scripturæ locis, ubi is noster dicitur *μεστῆς*, mediator.

ILLUSTRATIO.

i. Tim. 11, 5. 6. *Est Deus unus, est unus mediator inter Deum & homines, homo Jesus Christus, qui se ipsum dedit in premium redēctionis pro omnibus.*

Hebr. VIII, 6. *Christus melioris testamenti est mediator.*

c. IX, 15. *Christus est novi testamenti mediator, ut, morte, ad redēctionem transgressionum, que fuerant sub priore testamento, intercedente, vocari promissam hæreditatem acciperent,*

*cap. XII, 24. Venisti ad novi testamenti mediatorem, Iesum, & ad sanguinem adspersionis, qui loquitur melius, quam sanguis Abelis.*

Not. 1. Ipsum *mediatoris*, qui etiam *θεόνομος* dicitur Hebr. VII, 22. nomen indicat, Christum, tanquam mediatorem, non eisdem suam ipsius, sed alienam, h. e. humani generis, causam.

2. Vox *μεστῆς* est quidem sensus generalioris; at Christum esse mediatorem *ἱλαστήρα*, qui hiatum, qui homines a Deo disjungit, satisfactione explet, patet ex addita mortis piacularis & lytri commemoratione, quam in allegatis locis videas. Idem comprobat officium sacerdotum Leviticorum. Hi enim mediatores erant Deum inter ac populum piaculares, sed typici tantum. Ergo Christi mediationem, seu intercessionem antitypicam, *ἱλαστήρα* esse oportet.

3. Ad

## SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

3. Ad hanc argumentorum pro officio Christi <sup>33</sup> λατινοῦ classem porro pertinent illa Scripturæ oracula, ubi PER CHRISTUM AD DEUM ACCEDERE, seu aditum habere, dicimur. Jo.XIV, 6. Rom.V, 1. 2. Eph.II, 18. IV, 12. Hebr. VII, 25. X, 19. 20. &c.

4. Atque ita per vocem μετόπου præcipue declaratur vox iepos, sacerdos. Etenim ἡδα significat ministrum proximæ & intimæ admissionis: unde hanc vocem in codice Hebraeo aliquoties de ministris aularum politicis adhiberi videoas. Tales secreteæ admissionis ministri in sacris erant sacerdotes, in negotio expiationis typicæ medii inter Deum ac homines. Unde vocantur ἡδα οἱ προσεγγίζοντες αὐλὴν appropinquantes ad Dominum. Exod. XIX, 22. Lev. VII, 35: (ubi emendanda versio Lutheri) X, 3. Id quod Christo [convenit cum emphasi; Christo, qui jam ab aeterno erat apud Deum Jo. I, 1. & mediator factus curat τὰ πρὸς τὸν Θεόν. Hebr. II, 17. coll. cap. V, 1. suamque mortem piacularē & adfensionem accessum vocabat ad patrem, aditum ad eundem nobis pafaciens. Jo. XIV, 28. XVI, 5. 7. 16. 28. Conf. c. IV, 2. 23.

## PROPOSITIO XVI.

SATISFACTIO seu EXPIATIO Christi probatur 16) ex illa sacerdotalis ipsius officii parte, quæ in intercesione, speciatim sic dicta, posita est.

### ILLUSTRATIO.

Intercessio sacerdotum Leviticorum, præcipue summi, erat bipartita, respectu loci facta partim in Sancto, partim in Sancto sanctorum, & in hoc quidem quo-

E

tannis



tannis tantum uno die, qui solennis & universalis expiationis erat, a solo sacerdote summo: respectu modi, partim *thymiamate*, partim ipsis *precibus*. Vide Lev. XVI, 12, 13. Conf. Ex. XXVIII, 30, 35. 1. Reg. VIII, 30. seqq.

Actus vero hic intercessionis omnino fuit *ἱλαστικός*, piacularis, expiandi vim habens typicam. Id quod liquet:

1. *E positu altar: thymiamatum*, & ex ejusdem respectu ad reliqua vasa sacra in Sancto collocata. Altare suffitus positum erat in medio, ira ut a dextra haberet candelabrum aureum, a sinistra mensam panum propositionis. Exod. XXX. Jam quemadmodum duo hæc vasa adumbrabant beneficium *illuminationis* & *renovationis* in salutis applicatione; sic altare medium repræsentabat beneficium *satisfactionis* & *justificationis* in salutis & fundatione & applicatione, sine quo nec illuminatione datur, nec renovatione. Quod argumento huic primo, seorsum considerato, ad convictionem adhuc deest, ipsi e reliquis & eorum serie accedit. Id quod etiam de uno & altero e reliquis, si solitarie considerentur, notandum est. Illi, qui de veritate satisfactionis, tanquam nervo & centro totius cultus Levitici, ex argumentis alii jam convicti sunt, hic singula sufficiunt demonstrationis membra, dubitantibus vero universa conjunctim, inter se recte collata.

2. *Ex usu thymiamatis sacri*. Ille erat non sacrosanctus tantum, sed inviolabilis etiam, & absolute *αὐλιγτής*, imitatione & usu ejus extra tabernaculum & templum sub excisionis poena prohibitus. Exod. XXX, 37, 38. Quem vero in finem, nisi in typicum illam de satisfactione

## SATISFACTIONE JESU CHRISTI.

35

tisfactionis opere, quod hoc in nullum cadat mortalem hominem, sed soli Christo, sine imitatione, aut æmulatione, conveniat?

3. *Ex igne, seu pruni ad suffiendum ex altari holocaustico desumis.* Ex quo cum ignem haud desumissent filii Aarones, Nadab & Abihu, sed alieno & vulgari thymiamata adolevissent, igne consumebantur vindice Lev. X, 1. 2. Conf. Num. XVI, 46. Totum vero altare holocaustorum expiationi erat destinatum. Unde ignis ad suffiendum inde desumendus indicio erat, thymiamata habere virtutem expiandi.

4. *E sanguine victimarum,* altaris thymiamatum cornibus adsperso. Lev. XVI, 18. 19. Jam vero victimæ istæ erant piaculares ibid. v. 3. seqq. & sanguinis inde desumti proprium *κατ' ἔξοχην* erat expiare. Ex. XXX, 10. Lev. IV, 5. 6. 7. 18. XVII, II. Significatum itaque fuit hoc ritu, etiam actum suffiendi esse *ιλατικὸν* & cruenta expiatione niti.

5. *Ex ingressu summi sacerdotis in Sanctum sanctorum, cum suffitu factus.* Qui ingressus cum pro scopo haberet expiationem Lev. XVI, 17. non potuit non ipse suffitus, quocum is prima vice adytum intravit, expiationis vim habere, in primis factus solenni isto die, qui ab expiatione nomen habebat.

6. *Ex illo suffimenti scopo, qui erat in avertenda morte,* secundum illud effatum Lev. XVI, 13. *Det suffimentum super ignem ciram Iehova, regatque nubes suffimenti propitiatorum, quod est super testimonio (arca testimonii) UT NON MORIATUR.* Mortem vero avertere proprium erat expiatiovis.

7. *Ex illa suffimenti proprietate, quod facta quasi summi sacri nube ipsum ιλατίριον tegere, seu obumbrare,*

E 2

debe-



36 DOCTRINA DE SATISFACTIONE.  
debebat in Sancto sanctorum. Id quod pariter vim ejus ιλατικήν indicavit.

8. *E testimonio expiationis expresso*, quod Num. XVI, 46. 47. habetur: Edixit Moses Aaroni: accipe thuribulum, inditoque ei igne ex altari & imposito thure, fac ut cito percurreat catum, & EXPIATIONEM fac pro eis: exiuit enim servens ira a facie Iehove; jam incepit ipsa plaga. Quo accepto Aaron -- & EXPIATIONEM FECIT pro populo - & cobita est plaga.

9. Ex hilastico illo יְהוָה נִיחַר odore bonae fragrantia, qui suffimento tribuitur, & quidem illi etiam, quod sacrificii adhibebatur in altari holocaustorum, ideoque non minus, immo multo magis, illi, quod in Sancto & Sancto sanctorum fiebat, competebat. Vide Lev. II, 2. 15. 16. VI, 14. 15. Conf. I. Sam. XXVI, 19. Illud vero יְהוָה נִיחַר fuisse ιλατικόν, demonstratum vide Dissertat. V. Propos. VII.

Quæ cum fuerit indoles intercessionis sacerdotalis, tanquam typi, ιλατική, quis dubitaret, antitypum, qui in Christi intercessione est, fuisse hilasticum? Per intercessionem vero intelligitur illa Christi precatio, quam in statu exinanitionis, partim ante perpersiones ultimas, integras etiam noctes nostra causa in precibus perseverans Matth. XIV, 23. Marc. I, 35. VI, 12. &c. partim circa eas Jo. XVII. Matth. XXVI, 36. 39. 41. 42. & in ipsis pergit. Hebr. V, 7. Luc. XXIII, 34. Ies. LIII, 12. Et illa ipsa respectu applicationis & fructuum etiam in ipso statu exaltationis, durat. Vide Rom. VIII, 34. Hebr. VII, 25. IX, 24. I. Jo. II, 2. Thymiamata vero precum fuisse figuram, liquet ex Psalm. CXLI, 2. Apoc. V, 8. VIII, 3. 4. Fidelium tamen preces non sunt hilasticæ, sed fructus expiationis, ideo etiam Deo στρατη εὐαδίας.

73 5225

ULB Halle  
002 698 757

3



St

Nb 18

Mt



Farbkarte #13



33

DISSERTATIONUM ANTIPORETIANARUM  
ET SIMUL ANTISOCINIANARUM  
SEPTIMA  
DE  
**SATISFACTIONE**  
**JESU CHRISTI,**  
SEU DE  
**EXPIATIONE ET RE-**  
**DEMPTIONE EJUS FORENSI,**

TANQVAM ANTITYPICO UNIVERSÆ REI SACRIFICALIS  
NUCLEO, TOTIUS EVANGELII CENTRO, AC JUSTIFICA-  
TIONIS FORENSIS FUNDAMENTO:

QVAM DOCTRINAM  
PRIORE XVI. PROPOSITIONUM SERIE  
DEMONSTRATAM

IN REGIA FRIDERICIANA  
die Octobris hujus M DCC XIX. anni

PRAESIDE

**JOACHIMO LANGIO,**  
SS. THEOL. D. ET PROF. ORDIN.

ad objectiones respondendo publice tuebitur

**JOANNES HENRICUS Lenk /**  
Osterburgo - Pal. March. S. S. Theol. Cultor.

HALAE SAXONUM,  
Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFII, Acad. Typ.